Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3085
Quelle:
Copyright:

illum in ditione *Bononiensi* fitum fuisse mihi suadet Festum *Sancte Reparate Virginis et Martiris* in *Calendario* ad diem 8. *Octobris* minio expressum, quae Virgo apud *Bapt. Mantuanum Fastor.* L. 10. ita loquitur:

Caesariensis eram vivens; post fata cadaver
Venit in arva meum Fesulis subjecta, cubatque,
Qua Tuscus decurrit aquis torrentibus Arnus.

Calci Libraria Viros imitata subscripsit: *Qui scripsit scribat. et semper cum domino uiuat. Uiuat in celis in suo nomine felix. Qui legentium orationes pro merito karitatis expostulat. Anno domini. M°. CCCC° LIII.* (quod ultimum manifeste corruptum est, subposito LXXXX.) *die uigesimo quinto mensis Madij. Deo gratias. Amen.*

DCCCLVII.

790 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 206. 8. eleganter exaratus, Iconibus picturatis 6. et variis initiorum literis auro, coloribusque illusis visendus continet Psalmodiam Chori ferialem, praemisso Calendario et ducto a Die dominica initio. Litaniae OO. SS. primis foliis a recentiore manu adscriptae ad *Bohemiam* pertinent. Sed et totum *Codicem* illuc pertinere, e sequentibus fit manifestum. Rubricae Horarum plerumque germanicae sunt. Ita: *ze Terze. ze Sexte. ze None. ze Vesper. Also sprich des suntages. Des mantages Mettiu* &c. Verum a *fol.* 54. Psalmis et Precibus frequenter alia manu interjectae sunt Formulae eroticae, quibus non erat hic locus. Videlicet: *Katrussye ma myla.* Quasi dicas: Catharinula mea Dilecta. *Ma myla zmylelyczko zbledielo twe lyczko.* Mea cara Dilectula! impalluit tua faciecula. *Tyelo mlado Srdcze wesselo.* Corpus juvenile Cor hilare, et similia bellaria, quae ab importuno quodam sacrae Virginis Proco infarcta putem. Fuisse enim *Breviarium* istud scriptum in usum antiquissimi Parthenonis S. *Georgii* in Castro *Pragensi* demonstrant ultimae duae Icones, quarum prior B. Virginem exhibet adgeniculante Antistita pedo instructa, infra quam Aquila *Kolowratiana*, altera S. *Georgium* adstituto ei itidem genu flexo Canonico palliolo pelliceo humeros tecto. At vero Parthenoni huic ab a. 1363. *Elisabetham*, ab anno vero 1387. *Cunegundem*, utramque illustri *Kolowratiorum* stirpe prognatam praefuisse disco e *J. Flor. Hammerschmidtii Historia* hujus Parthenonis edita *Pragae* 1715. 4. p. 96. et ex eadem p. 4. adfuisse sacris Virginibus *Canonicos*, quorum, qui Presbyteri erant, in die OO. SS. pro *Superpelliceis* decem Grossos recipiebant. Quod si quis illo Canonico repraesentari velit *Ho-*